

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigesima-prima Martii.

M. FRANCISCO PAJOT, Doctore Medico, Præside.

An à proba victus ratione sola vita longior?

I.

INCIPIT mori qui nascitur, & qui dies aperit vitam, idem & aditum præbet interitui; nemo vitat libitinam, sed non omnium tabernas æquo pulsat pede, pauci fato suo pereunt, plures ante diem deficiunt, at suâ culpâ, quia parum cauti & attenti in victus lege: extenso vivet ævo, qui à natalibus bene morata sortitus viscera, & cui meliore luto finxit præcordia Titan, probam victus rationem, solam, sibi comitem adjunxerit, quâ duce & auspice longa, durabilis humidi primigenii cum calore nativo coit societas, mollities viscerum, quæ maximi ad longiorem vitam est momenti, servatur, siccitas, quæ mors est, inhibetur, coctiones omnes vitæ peraguntur, hominis unum & singulare bonum, sanitas, optima secundum naturam κατασκευή, quam actionum integritas corporis & animi robur ne-

ceſſario comitantur, floret, habilis ad vitæ munia vigor ſuſtinetur, excrementorum laudabilis fit evacuatio, & ſic à ſcopo ad quem collimat non aberrabit.

II.

AD modum ignis vivit homo, indigent ambo amico pabulo, quo foveantur, refocillentur & inſtaurentur, quod ſi abſit & deſideretur, diu non ſtant, majorem ligni congeriem, igni, quam par eſt,non impune appones, ex hac non luculentiorem ſpera, ſed citam σβέσιν expecta, ſi ſubtrahas ligna foco certa μάρανσις ſequitur; vita in caloris nativi, & humidi primigenii manſione collocatur; quò arctiori vinculo inter ſe colligantur, eò longior. Verùm cum calor ſua indole fugax ſit, & vorax, humorem, pinguem licet, & oleaginoſum perpetuo deprædatur; ad utriuſque reponendam, & reſarciendam jacturam & deceſſionem, opus fuit adminiculis quibus quod jugi effluxu deteritur, aſſiduo affluxu reponatur, & novæ in dies accedant fulturæ ruenti noſtræ ſubſtantiæ, alia non credas præter probam victus rationem, quæ circa cibum & potum potiſſimum verſatur, ille famem domat, hic ſitim & alimenta diluit, in ea variè ſæpiuſque delinquitur; ardua tamen & difficilis via non eſt., modo aſper & attentus ſis ejus legibus.

III.

MULTI præcipitant diem ſuam, non tœdio præſentis vitæ, ſed deſiderio futuræ longioris quam non aſſequuntur: hujus ſpe ſe lactat inani, qui neglecta & ſpreta proba victus ratione, ſola, cibos ſimplices, paratu faciles faſtidit, varios, diſcordes, coctu contumaces, ancipites obligurit, & quos ingenioſus ingluviei magiſter & artifex coquus condimentis obſoniis ad voluptatem & irritamentum inficit, inquinat, & adulterat, carnes, piſces, alieno à cælo poſitos, promiſcuè ſine delectu, ſine ordine tanquam gurges deglutit & abſorbet: potus falerni cyathi plures, quos exſiccat: ignorat hic, quod parvo vivitur bene, & quæ tortor gula ſibi paret mala, cibis enim ſe refercire, præceps eſt ad mortem gradus, gravatus calor, molem quâ premitur, male conficit, à qua illuvies, magnorum morborum parens,

ſoboleſcit. Alter magis delirus fame ſe necat, μονόσιτος eſt, panem non primarium & legumina ſub jugo lancis trutinat, & edit; ſuum credit nefas, vinum quod non eſt venenum, ſed lac ſenum, delibare: Infelix homo! cibo perit quo maxime indiget, graviora certe ex pauperie alimenti damna, quam ex abundantia μονοσιτίη ſua ſiccitate, ſuoque truci calore ſanguinem & ſpiritus incendit, torret viſcera, exta celerius ſeneſcunt, & amarulentioribus fit moribus. Hæc avertes pericula & longævus eris, ſi mediam inter utrumque carpas viam, & rerum non naturalium tempeſtivus & moderatus ſervetur uſus.

I V.

LUDUNT credulos & iis imponunt, qui Margaritis, lapidibus prætioſis, Divitiis Arabum, auro potabili Chymiſtarum oleis & ſalibus, novatorum ſomniis longiorem vitam pollicentur. Iſta Archetypæ nugæ, quid opis ab iis ſperes? quæ nullo nobis familiari ſubſtantiæ modo & fœdere connectuntur: Ecce tibi omnia ejus adminicula & commoda, facile & abunde ſubminiſtrat proba victus ratio ſola, quæ tantum tuendo corpori indulget alimenti, quantum ſanitati conſervandæ ſat eſt, hæc te docebit quo cibo, quo ordine ſis paſcendus, ejus conſilio nunquam oggeres, ſi appetitus non eſt legitimus, puritas ventriculi & prima coctio non ſit perfecte peracta, in eam rem natura nobis inſevit cibi potuſque deſiderium; at quoniam in die ſæpius incitamur, bis in die cibari, etiam valenti ſalubre, pueris operis frequentius conceditur, cœna prandio lautior, ſed non ſybaritica, ſibi non conſulit ſed aberrat plurimum qui chyloſi ſeriò non attendit, à qua nutritionis & vitæ pendet opus, primæ coctionis peccata & errata non emendantur ſecundâ, qualiſque chylus ſeu purus ſeu impurus, talis ab eo ſanguis totius corporis alimentum futurum.

V.

VERE, ſibi multa ad longiorem vitam parat commoda qui cibis εὐπέπτοις, εὐχύμοις, εὐαναδότοις, εὐχοιλίοις paſcitur, quorum quantitatem nativi caloris efficientia definiet, omne punctum feret, & feliciter rem abſolvet qui cæteras

res non naturales, his consociarit, & aërem temperatum, consistentiæ tenuem, purum, lucidum, nullis vaporibus obsitum spirabit, cibos antecedet exercitatio moderata, ut ab iis blandissima rerum quies somnus placidus obrepat, quo instauretur non obtorpescat, vilia escarum detrimenta foras eliminabuntur, gravibus pathematis & motibus animus non exardescet aut deprimetur, hac arte & methodo vivens, ætates omnes salubres peraget, & hodiernæ crastina summæ tempora adjiciet, vivida à carceribus ad calcem erit sanitas, tarde sentiet se esse senem, & sensim sine sensu labentibus annis, tacito passu, claudoque pede scænam claudet.

Ergo à proba victus ratione sola vita longior.

Proponebat Parisiis AMANDUS DOUTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.